



G H W

1 6 2 4



Disciplinae Speculative generales à se invicem per abstractionem à materia
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singulae etiam conveniunt Discipline:
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata
 et universaliter secundum rationem; quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia
 eadem reperiuntur, sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reperiuntur, et saltem
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,
 nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-
 plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K. F.
 W. F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~

24

SPECIALIS
METAPHYSICÆ
DISPUTATIO IV.

De
PERSONA,
& in Specie

DE PROPRIA VI ET RATIONE
PERSONÆ CONTRA GOSLAVIUM PHOTO
NIANUM DIRECTA,

Quam
Auspice & astite JEMOVA
in celeberrimâ

WITTEBERGENSIUM ACADEMIA
SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII,

Croppenstadiâ Halberstadenfis, Facultat.

Philosoph. Adjuncti,

*Vertilandam proponit, & defendendam
suscipit*

CHRISTIANUS FABRICIUS

Sunderburgensis Holsatus.

Ad diem 21. Januar. horis a. 7. matutinis.



WITTEBERGÆ,

Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,
Acad. Typogr.

ANNO M DC XXIV.



22
METAPHYSICAE
P. R. S. O. N. A.
DE PROPRIA VET. RATIONE
PERSONA. COMIT. A. G. S. T. A. T. I. M. P. H. O. T. E.
M. A. N. I. M. D. I. R. E. C. T. A.

WITTEBESCA
M. J. O. H. A. N. N. I. S. S. O. N. A. R. I. I.
Groppehards, Philosophus, Facultatis
Philosophiae, A. G. S. T. A. T. I. M. P. H. O. T. E.
Wittembergensis, A. G. S. T. A. T. I. M. P. H. O. T. E.

CHRISTIANUS FABRICIUS
Snooburgensis, Holstiae.
Ad diem 21. Januarii. A. G. S. T. A. T. I. M. P. H. O. T. E.



WITTEBESCA
Ex Typographo Christiani Thani
A. G. S. T. A. T. I. M. P. H. O. T. E.

ANNO M. DC. XXIV.





SPECIALIS METAPHYSICÆ
DISPUTATIO QUARTA,

μεγαλιον.

DE Supposito, ejusq; quidditate & formali ratione satis dictum est in præcedentibus disputationibus: nunc in specie de Persona ejusq; naturæ propriâ paucis disquirendum venit. Licet enim *cognita Suppositio* faciliè etiam & perfectè cognosci possit *Persona quidditas*; cum in hoc tantum discrimen- tur, quòd *Persona sit intelligens Suppositum*, ita, ut persona nihil peculiare habeat præter suppositi rationem, nisi quòd ad naturam intelligentem contrahatur, hoc est, *Suppositivitas determinata ad Substantiam intelligentem*, utpotè ad humanam vel angelicam naturam, *constituit personam* ut mox pluribus innotescet. Interim tamen ut hîc seorsim distinctius quædam delibemus de *Persona* vi & ratione facit partim usus hujus termini *Persona*, qui nunc ubiq; imprimis in Ecclesiâ & Disputationibus Theologicis est frequentissimus: partim *Goslaviæ & reliquorum Photinianorum Disputationes*, quibus genuinam personæ rationem depravare, inq; suas hæreticas opiniones detorquere vehementer contendunt: ex quibus sanè nemo se expedire poterit, nisi accuratius vim propriam & genuinam Personæ rationem agnoverit atq; dignoverit. Hanc itaq; in rem nunc cum bono Deo præsentibus nostræ meditationes Metaphysicæ defudent, paucis verò, cum Photinianorum sophismata è dictis de Supposito cludi possint.

THESIS I.

Vox Persona est ambigua & controversa. De hac ergò Etymologia primùm dicamus oportet. Gellio Persona dicitur quasi per Personam se sonans: Unde Lombardus 3. d. 10. putat animam rationalem falsa reijci- non esse personam, quia non sit per se sonans, sed alii con- juncta: ut citat Scheib. lib. 2. Metaph. cap. 2 art. 4.

II. Verùm illa opinio tanquam manifestò nugatoria merito exploditur. Neq; illa *Etymologia Gellii* congrua est:

A 2

uti

uti liquido apparet ex differentiâ prosodie seu quantitatis, quæ est in sono & Persona. Nam si Persona juxta suum etymon sit quasi per se sonans; jam deberet ejus penultima Syllaba corripì, uti sonus habet primam brevem: quod quia non convenit cum vero & usitato modo pronunciandi, qui est Persona, & illam Etymologiam deputamus falsam, & inanem.

Græca derivatio personæ est accommodatior. III. Aliis placet *græca derivatio*, quâ Persona dicitur à *περικώλυμα* vel à *περικώλυον* quasi cinctum quid, vel *περὶ σῶμα*, quasi habens aliquid circa corpus: scil. persona primitus dicta putatur de eo, qui repræsentabat aliquem in Comædiâ, ubi cincturæ & velamina adhiberi solent.

IV. Quæ Etymologia in Scholis Grammaticorum verior est & convenientior: sed ad Philosophicam & potissimam Personæ acceptionem, prout vox Persona hodie à Philosophis atq; Theologis usurpatur, vel nihil vel parum facit.

Quomodo vox Personæ significet qualitatem. V. Igitur ut ea excutiamus, quæ ad rem præsentem spectant, attendendum est, quod vox Persona soleat quidem ab auctoribus vetustioribus usurpari in *significatione qualificativâ*, sumendo Personam pro qualitate, vel pro statu & conditione alicujus Substantiæ: Sic Cicero ait 2. de Orat. *Sustineo unus tres personas, meam, adversarii, judicis.* Item in Pisonem ait: *Gravissimam sustinet personam, qui Philosophiam profitetur.* Item Philipp. *Tueri personam principis magnum est in Republ.* Et apud Quint. lib. 4. cap. 2. dicitur *suscipere personam alicujus.* Et hoc sensu aliquis dicitur in Comædia *repræsentare personam senis vel juvenis, vel Regis, vel Proci, vel Stulti, vel Rustici &c.*

Persona vox significat Substantiam. VI. Verùm hæc Personæ acceptio nec perpetua est, nec prima, nec potissima. Constat enim ex usu latinorum veteriorum classicorum Personam quoq; significare Substantiam (non talem Substantiæ statum aut conditionem) & quidem *Hominem.* Sic enim apud eundem Cic. App. lib. 3. *Persona obscura*

obscuræ pro hominibus obscuris dicuntur: & lib. 2. de Orat. hominum innumerabiles persone. Et Plin. Epist. 305. inquit: *contrahere personas ad aliquod negotium.* Quint. lib. 7. cap. 1. ait: *colliduntur Personæ inter se.*

VII. Valdè ergo hallucinatur *Valla*, dum *lib. 6. Eleg. Error valla.* cap. 34. multis rationibus contendit contra Boëtium; personam non significare Substantiam, sed duntaxat qualitatem, quod una Substantia plures dicatur gerere personas. Non quidem in eo errat, quod vocem Personæ denotare qualitatem statuatur; hoc enim non rarò ita esse conceditur, sed in eo, quod *tantùm qualitatem* notare putet. Non observavit ille regulam Logicorum: *unius positio non est alterius exclusio.* Quæ incogitantia etiam deprehenditur in *Scalig. in orat. de verbo inepti in Epist. pag. 374.* censente Scheibl. lib. 2. Metaphys. cap. 2.

VIII. Rectius hac in re statuit *Bellarminus lib. 2. de Cbristo cap. 5.* qui prolixè probat personam significare substantiam ex *Cicerone*, cum hic in *Top. partit. & de Invent. attributa alia faciat RERUM, alia PERSONARUM:* additq; *Valer. Max. lib. 2. cap. 21. quoslibet homines vocare personas;* eodemq; significatu poni in *instit. juris civilis*, quæ latinissimæ sunt *lib. 2. tit. 9.* Et res certa est exinde: dum dicitur *jus pertinere vel ad personas, vel ad res vel actiones.* Confer *lib. 2. de Trib. Eloq. cap. 4.*

IX. Imò in sacrâ quoq; Scripturâ vox Personæ substantialiter usurpatur: ut *Act. 10. v. 34.* dicitur *Deum non esse acceptorem personarum:* Ubi sanè vox personæ nihil aliud significare videtur quàm hominem. Confer *Rom. 2. v. 11. Gal. 2. v. 6. Ephes. 6. v. 9. Coll. cap. 3. v. 24. 1. Pet. 1. v. 17.* Imprimis ex *Heb. 1. cap. v. 3.* derivatur vera Philosophica personæ acceptio: ubi filius dicitur splendor gloriæ & *χαράκτῆρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ:* character personæ patris. Confer *D. Gravv. Cent. 1. qu. Theol. disp. 3. q. 3. & lib. 2. de T. E. c. 3.*

Significatio
personae
substantia-
lis est pri-
maria.

X. Et omnino censendum est *significationem istam, quae
vox Personae Substantiam significat esse primariam atq; potif-
simam*: reliquas verò de statu vel conditione substantiarum
tantum in ordine & analogiâ ad istam priorem ita dici.
Nam is, qui in Theatro personam agit, propterea illam a-
gere dicitur, quia aliud Suppositum verum, quod revera
substantia est, repræsentat, ut accuratè docet Rev. Excellent.
Dn. D. Jacob. Mart. lib. de Tribus Eloib. cap. 4.

2.
Usitata.

XI. Istajam *significatio personae Substantialis* hodie in Phi-
losophiâ & Theologiâ obtinet, ubi Persona in *Disput. de
Personâ Christi, de Personis divinis, de Supposito & Personâ*
semper accipitur pro Substantiâ completâ & intelligente.
Quod quomodo intelligendum sit mox fusius dicetur.

3.
Vetustissi-
ma.

XII. Qui usus vocabuli *Personae* uti est in Ecclesiâ Dei
frequentissimus, ita etiam vetustissimus. Non enim adeo
multò post Apostolorum tempora in Articulo de Trinitate
usurpavit eam Ecclesia eo scil. sensu & modo, qui jam ex-
plicatus est. Sic enim *Tertullianus adversus Praxean* scribit.
*De Deo nihil inane potest prodire & carens Substantiâ: ideo
SERMO DEI est RES & PERSONA quadam. Quaecunq;
ergo Substantia Sermonis fuit, illam dico PERSONAM & illi
nomen filii vendico: & dum Filium agnosco secundum à Patre
defendo.* Rev. Excell. Dn. D. Jac. Mart. d. 1.

Personae re-
spondet
ὑπόστασις.

XIII. Eodem sensu postea *tempore Athanasi* cepit u-
surpari vox ὑπόστασις: Est enim ὑπόστασις ἐν τῷ ὑφιστάμεναι ex sub-
sistendo, tanquam subsistens alteri, quod ei innitatur.
Unde ex vi vocis elucescit ὑπόστασις idem Græcis esse, quod La-
tinis est *Suppositum sive Persona*, licet aliàs vox ὑπόστασις val-
dè sit ambigua. Vide *part. Metaph. Dn. D. Jac. Mart. lib. 2.
sect. 5. q. 2. Scheibl. lib. 2. Metaph. cap. 2.*

XIV. Aliàs Græci Personam vocant τρεῖς ὄψεις. Unde
τρεῖς ὄψεις tria ὄψεις Græcis dicebantur tres Personae. Ita ergo nunc
sunt æquipollentes termini, *Persona, ὑπόστασις, & τρεῖς ὄψεις.*
Quæ

Quæ tria vocabula propriè significant Substantiam intelli-
genrem per se subsistentem & non sustentatam in alio: ut
cum dicitur Socrates, vel Paulus est persona, est *ἰσότης*,
est *ἰσότης*.

XV. Præterea de voce *Persona* sciendum est, quod su-
matur vel in virtute termini abstracti, vel in virtute termini
concreti: non secus ac supra in *disp. 2. hujus partis de Suppo-*
sito dictum est. In Abstracto accipitur pro ipsâ personalitate,
Et incommunicabilitate cum personâ aliâ: quomodo persona
absolutè sumta est idem, quod subsistentia distinctè accepta
â subsistente: non secus ac abstractum â concreto, denomi-
nans â denominativo distingui consuevit. In Concreto au-
tem sumitur Persona, prout naturam, cujus est subsistentia
incommunicabilis, connotat & consignificat: ut habeat quæ
concretum significandi modum: uti alias concreta: nem-
pe Subjectum suum includit, cujus terminus & ultimus a-
ctus est personalitas abstractè dicta. Et sic Persona idem est,
quod natura sive essentia intelligens prout incommunicabiliter
subsistit. Hoc concretivo sensu supra diximus Personam si-
gnificare substantiam completam intelligentem.

Vox Perso-
na sumitur
vel in con-
creto, vel in
abstracto.

XVI. Similiter etiam vox *ἰσότης* aliquando sumitur
per modum Abstracti, hoc est, pro subsistentiâ: aliquando
verò *ἰσότης* capitur per modum concreti, hoc est, pro sub-
sistente, quod Græci vocant *ἰσότης*. Scheibl. lib. 2. Me-
taph. cap. 2. ex Damasceno in Dialect. cap. 42.

ut &
Vox ἰσότης
ἰσότης.

XVII. Hisce quoad vocem *Personæ* prænotatis nunc
facilius realem quidditatem indagare poterimus: Potest au-
tem illa duplici viâ teneri: unâ juxta simplicem positionem
receptæ & usitatæ doctrine: alterâ per accuratam veræ senten-
tiæ inquisitionem & confirmationem.

Realis Per-
sonæ quid-
ditas.

XVIII. Priore modo *Persona* potissimum in Concreto
perpenditur. Et sic in scholis communiter fœvit describi
hunc in modum: *Persona est substantia individua, intelli-*
gens, incommunicabilis, non sustentata ab alio.

Explicatur
concretive.

XIX. Pri-

Definitio
Personæ.

XIX. Primitus quidem à Boëthio in lib. de duab. nat. & una personâ Christi cap. 3. ita erat proposita: *Persona est rationalis natura individua substantia.* Postea verò à Doctõribus Scholasticis addita fuit vox *incommunicabilis*: & à maioribus nostris etiam isthæc sunt adjecta *non sustentata ab alio*: vel, *quæ non sustentatur ab alia vel in alia.* Inde nunc est integra & perfecta personæ definitio ubiq; in nostris scholis recepta: *Persona est substantia individua intelligens incommunicabilis, quæ non sustentatur ab alia vel in alia.*

XX. Uti verò istæ descriptiones Personæ rectè intelligantur, dextre q; æstimentur, interest hîc semper in conspectu tenere, quod loquantur & agant *de Personâ universum & totaliter sumptâ*, prout includit omne id, quod ad Personæ quiditatem & conditionem requiritur: hoc est, *de Personâ in concreto sumptâ*, prout connotat ipsam naturam sive substantiam intelligentem, cujus incommunicabilis subsistentia, sive cujus terminus ultimus in ratione existendi est *personalitas*: uti docet Excellent. Dn. D. Jacob. Mart. lib. 2. de trib. Elob.

Conditio-
nes personæ

1.
Esse sub-
stantiam.

2.
Esse singu-
lare &
completum
quid.

XXI. Deinde observandum est, quòd ad Personam universè & totaliter sumptam requirantur sequentes conditiones. 1. *esse Substantiam.* Quicquid enim Persona est, illud ipsum Substantia sit necessum est. Etenim nemo unquam Accidens vocitavit Personam propriè dictam, scil. omnes Philosophi per Personam intelligunt aliquid per se subsistens, quod non potest esse, nisi substantia.

XXII. Requiritur 2. ut *Persona sit aliquid singulare & quidem completum.* Ita patet, quia *Persona est Ens reverè extra intellectum existens.* Attale quid semper est singulare seu individuum Ens. Ergo universalia, quæ saltem Entia rationis sunt, non sunt Personæ. Ergo *Genera & Species non erunt Personæ*: Ergo nec animal, nec homo, ut species acceptus, erit Persona: Sed *hic homo, vel ille, nempe Socrates, Petrus,*

Petrus, Paulus, & ita singularis & individuus homo est & dicitur Persona.

XXIII. *Completum autem quoddam esse debet persona; cum propriè non tribuatur vox Personæ partibus rei, sed toti co nposito.* Sic pes hominis aut brachia ejus non dicuntur Personæ, sed totus homo: item *incompleta entia, uti sunt essentielles partes, non sunt persona, nec ita propriè dicuntur.* Sic Anima hominis non est Persona, sed totus homo: immò etiam *separata anima & extra corpus existens non propriè dicitur persona, cum hæc sit speciale nomen Suppositi, adeoq; semper sit suppositum.* Confer ea, quæ supra de Supposito diximus.

XXIV. Insuper 3. *Conditio personæ est ut sit Intelligens.* Et in hoc Persona distinguitur à Supposito, quia hoc, *Sup-* ^{3.} *Esse intelli-*
positum, in genere quamvis singularem completam & in- ^{gens.}
communicabilem substantiam significat, Persona verò id
facit solum in genere rerum intelligentium.

XXV. Rectè Cicero in offic. *Nobis, inquit, imposuit personam ipsa natura magna cum excellentiâ, præstantiâq; cæterorum animalium.* Ita ergo Persona significat specialem Suppositi dignitatem & perfectionem ex parte naturæ, in quâ subsistit, nempe quod illa sit intelligens sive prædita intellectu. Unde *bruta & inanimata corpora alia, dicuntur quidem supposita, sed non personæ solent appellitari:* Sic Buccphalus non potest dici persona: Petrus verò aut hic homo sivevit dici persona.

XXVI. Præterea requiritur ad Personam, ut 4. *sit ali-* ^{4.} *Esse Incom-*
quid incommunicabile & non communicabile: ubi cautè ob- ^{municabile.}
serve, quod Persona (ut & omne Suppositum) peculiari
conditione & modo sibi proprio sit aliquid in ommun cabile.
Neq; enim omnis incommunicabilitas statim ponit perso-
nam: uti est Singularium incommunicabilitas, quæ est nega-
tio communicationis per modum universalis ad plures spe-
cies

cies vel ad plura individua numero divisa divisim existentia: Hæc enim incommunicabilitas continetur *sub voce singularitatis*, & ita omne individuum seu omnis essentia singularis est incommunicabile quid, nec tamen inde statim sequitur, omne ens singulare esse personam vel Suppositum. Multæ dantur Substantiæ singulares, quæ propriâ non gaudent suppositalitate, ut è supra dictis notum est.

*Incommu-
nicabilitas
subsistentiæ
convenit
personæ.*

XXVII. Itaq; dico, quod *persona sit incommunicabilis RATIONE SUBSISTENDI*, vel quoad *ultimatam subsistentiam*, nempe quod Persona non communicet cum alterius subsistentia: vel ut planius loquar, quod Persona quatenus talis non habeat communem & participatam subsistentiæ dependentiam ab alio unito. Debet enim illud, quod Persona est ita subsistere, ut in ratione existendi à nullo unito dependeat: debet esse ultimò terminatum: & ultimum subsistenti complementum obtinere. Sic iste homo est persona, qui non communicat cum alterius subsistentiâ, nec dependet ab alterius subsistentiâ: sed incommunicabiliter in se habet ultimum existendi terminum, & proprium ultimum complementum subsistenti. Sic Petrus, Casparus, Marcus, hic vel iste homo est & dicitur Persona.

XXIIX. Rectè Scheibl. lib. 2. Metaph. cap. 2. docet.
• *Nomen Personæ tribuit Ecclesia illi, quod quasi ultimum mo-*
• *dum subsistenti habet, ita ut ne quidem sit communicabile eo*
• *modo, quo natura Supposito est communicabilis, quod singulare*
• *communicationis genus nobis fides revelavit, in essentiâ divinâ*
• *singulari ad tres hypostasas. Unde porrò essentia divina est*
• *singularis, & tamen hoc posteriori genere est communicabilis:*
• *Et proinde non vocatur Persona. Ita enim longâ consuetudine*
• *nomen personæ in Ecclesia receptum est, ut quod taliter est*
• *communicabile, Persona non dicatur. In significationibus e-*
• *nim vocum nihil potius est quàm consuetudo loquentium.*

s.
*Non susten-
tari ab alio.*

XXIX. Deniq; requisitum Personæ faciunt, *Non susten-*
tari

ari ab alio. Et certè Persona non debet sustentari ab alio, nempe unito; Aliàs enim non esset ultimò completum quid in ratione existendi: nec independenter subsisteret; verùm in alio sustentante communicabiliter existeret. Ita verò nequaquam esset Persona.

XXX. D. Chemnitius 1. part. Loc. Theolog. de Trib. Per. Div. cap. 2. Memb. 4. notat, quod aliqui Scholastici hanc conditionem persone continuerint sub Incommunicabilitate, quam exponunt ita, ut omnem inde excludant dependentiam ad aliud in eo, quod Persona dicitur: Verùm tamen bono consilio peculiariter addita fuit & ista conditio, & uberius explicacionis ergo meritò retineretur & ponitur: (nempe quod persona non sustentatur ab aliâ vel in aliâ) & non sine causa.

XXXI. Inprimis ut aliquo modo intelligi possit, *quo modo in Christo sint dua natura individua, intelligentes, incommunicabiles, & tamen non sunt dua Personæ: sed unus est Redemptor & Salvator: unus Christus: adeoq; una persona Christi.* Cur Hu-
mana Chri-
sti natura
non sit pro-
pria perso-
na.
Humana enim Natura in Christo, etiamsi est individua substantia, intelligens, incommunicabilis: tamen non habet rationem Personæ, quia per se nunquam habuit distinctam substantiam extra Filium Dei, sed sustentatur in alio, videlicet in Personâ τὸ λόγος. Chemnit. ibid.

XXXII. Quibus omnibus conditionibus observatis, facile intelligetur illa communis, & communiter recepta Definitio personæ (quâ dicitur, Persona est substantia individua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata ab alio vel in alio) nempe quod illa *summatim fiat colligendo omnes proprietates Personæ: adeoq; loquatur de Personâ universè & in concreto acceptâ.*

XXXIII. Et hæc est usitata Definitio Personæ positio, eaq; ad captum omnium accommodata. Non enim diffi-
tendum est, quod illa communis personæ definitio ita in-
concre-
Cur perso-
na commu-
niter defi-
niatur in
concreto.

concreto ponatur & in scholis retineatur ob summam obscuritatem: quæ non nisi per concretivam descriptionem facilius explicari potest: quemadmodum aliàs in Metaphysicis terminis concretè sumi & explicari solent, cum in abstracto formalem terminorum rationem non omnibus liceat observare. Confer lib.2. de Trib.Eloh. Rev.Excell. Dn.D.Jac. Martin. cap.4. pag.39.40.

XXXIV. Nunc porrò accuratiùs inquiramus *in propriam personæ vim, ejusq; rationem formalem.* Quam in rem cautè teneantur illa, quæ suprâ de *Supposito* disputata sunt. Tota enim doctrina Personæ dependet ex doctrina Suppositi: Personâ à Supposito in hoc differente, quod intelligens sit Suppositum, uti Goslavius ipse confitetur part.1. Disp. de Person. cap.10.

XXXV. Suppono itaq; è supra disputatis 1. *Personam connotare Substantiam sive naturam ceu subjectum.* Ut enim Suppositum includebat naturam, sic & Persona. Quæ enim supra in Disput. 2. de Substantiâ adseruimus: illa omnia etiam valent de Personâ: nempe Substantiam non esse genus personæ, sed subjectum.

XXXVI. Dico 2. *Personam in creaturis cum naturâ seu substantiâ facere aliquam compositionem & concretionem.* Dico *in creaturis:* ibi namq; superaddit naturæ aliquid ex parte rei distinctum, quod est extra rationem substantiæ creatæ.

XXXVII. Hinc jam ponitur hoc, *Personam in creaturis obtinere vim CONCRETI:* adeoq; quasi coalescere ex subjecto & superadditâ formâ: non secus ac aliàs concreta habent compositum significandi modum.

Duo in personâ sunt notanda.

XXXVIII. Duo in Personæ consideratione veniunt notanda: *Materiale* ejus & *Formale.* Illud erit *subjectum*, vel illa materia, quæ dicitur & denominatur Persona. Hoc verò est *ratio* vel *forma ipsa, per quam est & dicitur Persona.*

XXXIX.

XXXIX. Hæc scilicet duo *in omni concreto* occurrunt, & totam quidditatem termini concretivi absolvunt. Sic album dicit 1. materiam, quæ denominatur alba, estq; subjectum corpus: 2. formam ipsam, nempe albedinem, quâ ali- quod corpus est & dicitur album. Sic etiam in omnibus terminis Metaphysicis concretè sunt illa duo se offerunt: ut- pote Unum constat quasi ex materiali suo, quod est *Ens* ceu subjectum, & ex Formali, quod est *indivisio* ceu forma per quam ens est unum. Eodem modo se res habet in Vero, Bono, Principio, Necessario, Finito, Dependente, &c.

XL. De Materiali Persona quidditate primò certum est, *Materialè* quod *Substantia* etiam *primà & completa* habeat *rationem* persona. *Subjecti ad personam*: adeoq; illa fit *quasi materia* Persona. Ut enim Substantia prima est subjectum in Supposito, sic etiam in Personâ. In hoc enim planè nihil differunt Persona & Suppositum.

XLI. Deinde verò *peculiare hoc sibi vindicat Persona*, quod *Substantia* *intelligenti sive natura intellectu prædita conveniat*: quæ quomodo se habeat ad Personam disceptari cœpit.

XLII. Goslavius putat *intelligentem naturam esse formam* Persona, non verò *subjectum*. Sed valde aberrat iste Phos- Error Gos-
lavii. tinianus, ut in quæst. 1. ostendetur fusiùs. Nam illa forma, seu illa ratio formalis, quam Persona dicit in abstracto, quamq; superaddit Naturæ tanquam suo subjecto, non est entitas quædam nova peculiaris, multò minus Substantia, quædam realiter distincta, sed modus substantialis modaliter saltem distinctus à naturâ rei. E. intelligens substantia, non erit illa forma. Quâ de re mox dicendum erit.

XLIII. Dicimus ergo nos, quod *natura intelligens se habet in personâ* instar subjecti, quod denominetur per personalitatem superadditam: non focus ac supra substantiam primam ceu subjectum afficiebat & denominabat Suppositalitas.

Formalis
ratio perso-
ne.

XLIV. Quæris ergo quidnam illud sit, quod in abstracto dicitur Personalitas: & quænam sit formalis ratio Personæ? Respondemus esse ultimam actualitatem subsistendi. Nam illa Substantia intelligens ubiq; & unice vocatur Persona, quæ ultimò subsistit, hoc est, quæ ita subsistit, ut non terminetur ab alio, neq; in alio sustentante subsistat.

XLV. Et hoc est, quod supra de incommunicabilitate suppositi dictum est. Ultimus enim subsistendi actus, nihil aliud est quam incommunicabilis subsistendi actus. Quod enim ultimò actuatur in ratione existendi, non cum alio potest uniri & communicari ita, ut cum illo & ab alio accipiat communem existendi rationem: Aliàs enim ab alio actuaretur, & ita non esset ultimò actuatum. Similiter independenter subsistere idem est quod incommunicabiliter subsistere. Sunt itaq; ita æquipollentes phrasæ: ultimò subsistere, independenter subsistere, & incommunicabiliter subsistere.

Incommu-
nicabilitas
subsistentiæ
est formalis
ratio per-
sonæ.

XLVI. Hinc siue dixeris formalem personæ rationem esse incommunicabilitatem subsistendi, vel ultimam subsistentiam: vel independentiam subsistendi, semper idem dixeris, & verè.

XLVII. Aliàs frequenter indigitant Subsistentiam completam: Rectè Suarez Disp. 34. sect. 5. v. 61. loquendo in particulari de SUBSISTENTIA COMPLETA, quæ in rebus creatis semper est Suppositalitas vel PERSONALITAS: illa potest dici communicabilis ut quod, incommunicabilis ut quo, ut supra disp. 2. thes. 26. notavimus.

Persona de-
finitur
mentionem
subjecti.

XLVIII. Jam collige & conjunge hanc formalem Personæ rationem cum suo subjecto (ut enim modi sunt alicujus modi, ita & ingenium affectionis induunt, adeoq; mentionem sui subjecti meritò definiuntur: ita & de Personâ statuum. Hæc enim intrinsecus substantiæ modus est, & naturæ intelligentis determinatio) & accurata Personæ Definitio hæc erit. Persona est natura intelligentis incommunicabilis sub-
sisten-

sistentia: vel, Persona est substantia individua intelligentis incommunicabilis subsistendi. Confer lib. 2. de Trib. Eloh. Rev. Excell. Dn. D. Jac. Mar. cap. 4. vel ita, Personalitas est substantia completa naturæ intelligentis.

XLIX. Quæ Definitiones ut in Abstracto ratione Personalitatis fiunt, sic optimè naturam Personæ declarant: etiam exinde patefcet, quomodo communis Personæ Definitio rectè sit accipienda, & in concreto explicanda, ne in errores hæreticorum inducamur.

L. Aliàs enim ex vulgari definitione ita solent sophisticari: *Persona est Substantia. E. tres Personæ sunt tres Substantiæ*: Ita Goslavius colligit lib. 3. contra Kecker. cap. 4. *Quod Sophisma facile eluditur, quando constat Personam in concreto dici Substantiam.* Irritam enim & vanam esse consequentiam quis non videt? Anne licet ita concludere. *Affectio Entis est Ens. E. tres affectiones sunt tria Entia?* Non sanè. Nam Antecedens loquitur in concreto, quæ complexè sumitur Entis affectio: sed posterius præcisè loquitur, quoad additum solum, nempe quando dicitur, *tres sunt affectiones* ibi multiplicantur affectiones solum quoad additum, non verò ratione Entis. Hoc enim unum idemq; est sub istis tribus affectionibus.

Error Goslavii.

LI. Similiter de Objectione Goslavii statuendum est. Nam in Antecedente Persona sumitur concretè & complexè, nempe *pro essentiâ & proprietate personali simul*: quomodo pater dicitur Persona, sed in consequente persona accipitur quasi abstractè pro ipsâ personalitate, quam in essentiâ notat, sic enim dicuntur esse tres Personæ, ut sit sensus, *sub tribus proprietatibus personalibus subsistit una essentia divina.* Ergo sic manet unitas substantiæ divinæ, licet illa tribus Personis subsistat, hoc est, licet una essentia divina sit trium substantia. Et hæc hac vice de Personâ quæ Theses.

P O R T I

P O R I S M A T A .

1. *Vox Personæ est vox Substantiæ.* Scilicet *πρόσωπον* significat Substantiam, & in scholis Philosophorum ubiq; substantialiter accipitur.

2. *Omnis Personæ est Suppositum,* sed non contrà statim, omne Suppositum dicitur Personæ: uti in genere Substantiarum non intelligentium obtinent Supposita, sed non sunt Personæ.

3. *Personæ est speciale nomen Suppositi:* nempe specialius capitur pro certo & determinato supposito ad naturam excellentiorem intellectu præditam.

4. *Personæ est Suppositum intelligens:* quia saltem intelligentis naturæ Suppositivitas facit Personam, uti è dictis constat.

5. *Suppositum non distinguitur à Personâ, nisi Subjecti diversitate.* Nam formaliter conveniunt, sed ex parte naturæ differunt, quæ in Personâ est natura Rationalis sive intellectualis: sed in Supposito subjectum sive materia neq; intelligens est, neq; non-intelligens.

6. *Quodcumq; removetur à formali ratione Suppositi, id quoq; removetur à formali ratione Personæ.* Ratio est quia eadem est utrinq; formalis ratio Suppositi & Personæ, tantum Subjectis distincta & sic determinata.

7. *Personæ est incommunicabilis alteri Personæ ejusdem naturæ.* Dico alteri Personæ. Nam incommunicabilitas Personæ non omnem negat communicabilitatem, sed duntaxat alterius Personæ, non alterius naturæ.

Q U Æ S T I O I.

An intellectus sit formalis ratio Personæ.

Ita statuit Goslavius part. I. disput. de Pers. cap. 10. Verba ejus hæc sunt. *Propriè formalis ratio eâ in re consistit, quæ Personam à Supposito discernit & separat: Id autem est intellectus.*
Sed

Sed errat nosse Goslavius. Non enim statim id est forma, quo aliquid distinguitur ab alio: siquidem non raro per accidentia tum propria, tum communia res à re discriminatur. Sic per binnibilitatem equus distinguitur ab homine: per doctrinam professor differt à Rustico, per calorem ignis distinguitur ab aliis, quæ non sunt ita calida. Similiter per subjecta & materiam propriam per multa separantur sive distinguuntur accidentia. Sic fragor in nube differt à fragore in ligno per subjecti diversitatem. Sic effigies Cæsaris cera impressa differt ab aliâ, quæ est in auréâ materiâ, saltem ratione subjecti diversi. Nihil ergò est, quod ibidem addit. Quamobrem intellectum ultimo loco in definitione collocas, strictior emq; differentiam vocas. At ultima differentia complet substantiam rei. 7. Metaph. cap. 12. Non propterea intellectus ponitur ultimo loco in definitione Personæ, quasi sit forma ejus, sed quia est proprium Personalitatis subjectum. Neq; verò ultima differentia semper desumitur à formâ rei, sed sæpius etiam à subjecto seu à materia, itemq; non raro à causâ efficiente, ut patet è multorum accidentium definitionibus causalibus. Sic & ultima differentia complet rei Substantiam, sed non semper ut forma, sed quandoq; ut materia vel subjectum. Sic quando in definitione Personæ additur, intellectus vel intellectuale, tota natura Personæ completur sive completè traditur. Etenim quod hoc suppositum sit ac specialiter dicatur Persona, id habet indè, quod talis subjecti sive materiæ nempe intellectualis Suppositum est. Nam ultima ratio Personam denominans, & distinctum ens efficiens, non est suppositalitas, sed quod sit in tali subjecto, nempe intelligente. Et manet nihilominus, quod intellectuale illud non pertineat ad formam, sed tantum habeat subjecti rationem. Tota ergò formalis ratio personæ consistit in Suppositalitate determinata ad intellectuale subjectum. Rev. Excell. Dn. D. Jac. Mart. in disp. Apol. 6. thes. 12.

C

II. An

An Suppositum sit materia Personæ?

Statuit Goslavius *Suppositum in ratione Personæ se habere ut materiam, propterea quia sit genus.* Sed iterum errat Photinianus. *Primo falsum est Suppositum esse genus Personæ.* Habet quidem se ut genus, hoc est, ingenium generis induit in ratione Personæ, quia latius est: non aliter ac *superficies ad locum* se habet quasi genus: interim ut superficies non est genus propriè dictum; Sic & *Suppositum* propriè dictum genus non est respectu Personæ. Deinde licet *genus in proportionem respondeat materia*, non tamen statim est materia ipsa. Potest enim genus etiam à formâ desumi, uti fit plerumq; in accidentium descriptionibus.

An intellectus habeat rationem subjecti in Personâ?

In Thesis confirmatum est, quomodo *natura intellectualis sive intellectus pertineat ad materialem personæ Conditionem*, adeoq; habeat rationem Subjecti, ita ut personalitas sit terminus & actus ultimus naturæ intellectu præditæ. Goslavius verò adhuc contrariatur part. I. cap. 10. Disp. de Pers. *Intellectus*, inquit, *quo suppositum à personâ discriminetur vim & naturam subjecti sustinere nequit.* addit rationem. *Neq; enim (pergit) personæ & Suppositum de intellectu predicatur, sed intellectus de Personâ & Supposito.* Sed ista ratio nulla est. Non enim necessum est, ut *subjectum verum reale*, & physicum ubiq; in *predicationibus* etiam subijciatur ei, cujus est subjectum reale: immò persæpè cum primis in concretorum descriptionibus, *predicati loco ponuntur subjecta*, itemq; vicissim affectiones & accidentia subjecti vicem obtinent. Sic dicitur: *Pater est homo habens filium:* ubi sanè *Homo* est subjectum paternitatis, licet predicetur de pa-

de patre. Sic dicit Aristoteles. *Nomen est vox*: Hæc tamen est quasi materia & subjectum Nominis. Quod verò obicit ex Aristot. 10. Met. cap. 9. *quæ subjecto separantur, ejusdem sunt rationis & speciei*. Huc non quadrat. Illud enim loquitur de veris entibus, quæ revera constituunt Species certas: non verò de modis aut similibus analogiam ὀνόματι reddentibus. At persona & suppositum substantiæ modi, nec in se obtinent peculiarem entitatem: sed ipsam ipsius Substantiæ entitatem habent. E. pro variatione substantiarum variari possunt.

IV.

An Persona & Suppositum differant formaliter?

Negativa nostra est. Ut enim Suppositum formaliter dicitur *incommunicabilitatem subsistendi*, vel subsistentiam completam: sic etiam *Personæ formalis ratio* propriè in eo consistit quod *substantiæ individua incommunicabilitatem quasi superaddat*: ut passim docet Dn. D. Mart. lib. 2. de Trib. Eloq. cap. 4. & 6. Suppositum à persona hoc differt, quod differt curvitas à simitate, quies à serenitate, tranquillitas ab æquabilitate. *Curvitas enim in naso* dicitur simitas 7. Metaph. cap. 5. *quies in aëre* serenitas: *æquabilitas in mari* tranquillitas 8. Metaph. cap. 2. quæ omnia videntur differre subjecto. Verùm duo hîc obicit Goslavius 1. *disparitatem illorum exemplorum*. 2. *Suppositum esse genus Personæ*. E. non eadem ratio esse possit suppositi & personæ. *Primum dico*, inquit, *aliam horum esse rationem*. *Quæ namq; sunt commemorata, habent se instar formarum*. Et paulò post. *Aliter se habet persona & Suppositum, quia sunt separabilia, nec inhaerent in alio, ut in subjecto, aut in materiâ*. Sed respondetur 1. posse dici *similitatem* etiam se habere, ut formam accidentalem nasi. 2. propriè hîc non sit respectus formæ ad materiam, sed affectionis propriæ ad suum subjectum. Quandoquidem proprium nasi est, quod sit simus, vel similitatem in se habeat,

hoc est, curvitatem sibi competentem. Eodem modo etiam proprium est intelligentis nature, quod sit persona vel personalitate subsistat, hoc est, suppositalitate sibi competente. Ergo quia affectio propria considerari nequit, nec defini sine mentione subjecti: sic neq. *similitas*, nec *persona sine proprio subjecto definiuntur*. In hoc ergo eadem manet ratio. Licet verò Persona & Suppositum si concretè sumuntur, non inhæreant in subjecto: nihilominus *abstractè ut personalitas & suppositalitas* naturam sive substantiam respiciunt, tanquam affectiones suum subjectum. Alterum ita ponit: *alia est speciei alia generis ratio, speciesq. perfectior est genere &c.* Sed ibi nos non concedimus Suppositum esse genus verum personæ, saltem analogiam & rationem aliquaena generis dedimus supra. Quia ergo suppositum non est verum genus, frustra Goslavius ex eo disputat. Deinde notetur *aliam esse rationem nempe formalem generis, & aliam speciei; i. ibi, ubi est Genus in rigore dictum. 2. ubi differentia specifica desumitur à formâ, & non à subjecto, vel etiam à causis externis.* Sit ergo conclusum. Persona & Suppositum in formali ratione ἀπλως idem sunt: & tantum diversitate subjecti sive naturæ distinguuntur. Quod Suppositum sit incommunicabilitas in naturis brutis simul & intelligentibus: Persona verò tantum in intelligentibus.

V.

Quomodo differant Individuum, prima substantia, suppositum & Persona?

Totam doctrinam de Supposito & Personâ hîc summam repetituri terminorum horum, Individui, primæ substantiæ, Suppositi & personæ, distinctiones annotare volumus. Primò quidem nulla est difficultas de *Individuo & prima substantia*. Constat enim è dictis, quod *Individuum* opponatur *Universali*, & denotet quamvis rem singularem; adeoq.

adeoq; inter hosce terminos sit latissimum, extendens se etiam ad accidentia. At prima substantia non ita late patet, sed terminatur in predicamento substantia, solisq; substantiis singularibus attribui potest. Ergo Individuum & Substantia prima differunt ut latius & angustius. Omnis substantia prima est individuum, sed non contra. Similiter res expedita videtur in Personam & Supposito. Idem enim est persona, quod suppositum, nisi quod suppositi hujus rationem determinet ad naturam rationalem sive intellectualem. Unde Persona nihil aliud est, quam suppositum intelligens. Sic Petrus, Paulus, & omne suppositum humanum dicitur Persona. Quando autem est Substantia per se subsistens sine intellectu, tunc praecise & simpliciter dicitur Suppositum. Ut canis, leo, equus, non vero Personae dicuntur. Apparet inde, quod etiam Persona & suppositum differant ut angustius & latius. Omnis quidem persona est suppositum, sed non omne suppositum est persona. Deniq; verò difficultas non exigua videtur esse de prima substantia & Supposito, quomodo nimirum isti termini differant. Sunt enim permulti, qui hosce terminos confundunt, & unum idemq; esse putant, primam Substantiam & Suppositum, ut hodie potissimum id urgent Goslavius & reliqui Photiniani. Sed & hic distinguendum esse censemus inter substantiam primam & suppositum. Licet enim omne suppositum sit substantia prima & singularis: non tamen contra, omnis substantia prima statim est suppositum, ut è descriptionibus istorum terminorum supra allatis liquiddò constat. Potest enim fieri, ut substantia quaedam verè singularis non per se subsistat: sed suam subsistentiam obtineat in altero: ubi manente ratione substantia prima tollitur Supposititas: quæ infert ultimum terminum naturæ completæ secundum esse existentiae. E. gr. Elementa in mixtis existentia sunt omninò prima substantia & singulares (non enim secundæ vel universales, cum extra

Intellectum non dentur universalia) Et tamen *non sunt Sup-*
posita distincta: sed unum est suppositum nempe totum com-
positum sive mixtum. E. ibi sunt plures substantiæ primæ;
& tamen non plura supposita. Ergo non omnis substantia
prima est suppositum. Nihil autem est quod *objiciunt Pho-*
tiniani; Non posse esse substantiam singularem & primam; nisi
etiam sit incommunicabilis. Hoc enim non simpliciter, ne-
que semper verum est; ut substantia individua non sit com-
munis alteri. Multa namq; singularia sunt, multa indivi-
dua, *multæ substantiæ primæ*, quæ suam retinent singularita-
tem: etiam si *sint in altero tanquam supposito*, & ita proprii sup-
positi rationem amittant. E. gr. *Aurum* unum idemque sive
sit in suâ propriâ subsistentiâ & ὁφισαυδῖω, sive sit *in alieno re-*
solutum, manet *individua & prima substantia: sed incommu-*
nabilitatem & suppositi proprii rationem non retinet: quippe
propriam suam subsistentiam per resolutionem amisit: atq;
ita factum est communicabile, faciliq; negotio cum alio po-
test consociari, & cum illo unum constituere ὁφισαυδῖον, &
ita in alio subsistere supposito: ut *in poculo exaurato non pro-*
priâ, sed poculi sive argenti subsistentia subsistit aurum, quia illi
inest & per se non constituit proprium suppositum incom-
municabile. Sic etiam hoc, quod dico, patet *in ferro canden-*
te ubi ignis & ferrum ita uniuntur, ut *ignis non in se subsistat,*
sed in ferro vel potius in ὁφισαυδῖω ferri *subsistat.* Interim
non tollitur ejus ratio individui vel primæ substantiæ. Est
enim continuus adeoque individuus ignis & substantia pri-
ma; nempe est hic ignis; non ignis in specie aut communi
sumtus. E quibus sanè apparet, quod non simpliciter prima
substantia sit incommunicabilis, ut non possit cum altero
conjugi, in quo subsistit, & in quo habeat suppositaliratem
suam, propriâ nempe amissâ per illam communicationem
vel unionem, vide *Clariss. Dn. D. Jacob. Mart. lib. 2. de tribus*
Elohim cap. 6. Plura possemus addere exempla, sed ex his sat
planum.

planum esse puto, quomodo isti termini differant, & quomodo non omnis Substantia prima sit Suppositum: licet semper sit in Supposito, licet etiam omne suppositum (concretè sumtum) sit prima substantia. Ita igitur concludimus, Quomodo Individuum & Prima Substantia: Item Suppositum & Persona differunt, ut latius & angustius; sic etiam Prima Substantia & Suppositum.



בהור וחרר
דורי מפל פל
שיר הפשוט :

מלך אומר במשלים
החכם זהב בדברים :
אוגר בקיץ בן משכיל
נרדם בקציר בן מביש :
הוי בערת הושר דורש
הכמה את בינה ומבקש :
על כן הדר גם תפארת
דורשך יומם עומרת :

Breve hoc *συγχαρακτηριστικὸν* benevolentiae
causâ habe à tuo

M. Matth. Cornapæo.



Præstantissimo ac Literatissimo Dn. Respondenti,
amico candidissimo,

Gloria, fama decus, vel Marte vel Arte parantur,

E Sophia aſt major gloria nonne venit?

Magna viris equidem laus eſt qui caſtra ſequuntur,

Et inſigne decus fortia facta parant.

Maxima ſed remanet laus his qui caſtra Minerva

Perluſtrant, Phæbo qui duce bella gerunt.

Hi verè



*Hi verè famam post mortem vivere querunt
Eternam, æternum ceu meruisse decus.
Numnè tibi studiis te etiam CHRISTIANE (quid obstas?)
Immortale decus conciliare putas?
Noctes atq; dies remeas dum sacra fororum,
Et Sôphiam curâ fervidiore colis.
Moc documenta probant, tu namq; viriliter hostis
Armatâ reprimis tela vibrata manu.
Maçte animo & virtute tua! sic crede manebit
Et tibi post mortem non periturus bonos.*

ex sincero affectu adponebam.

*Anthonium Guntherus Velstein
Oldenburgo-Frisius.*

F I N I S.



AB: 67 $\frac{5}{c, 10}$


ULB Halle

003 357 104

3







B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

24

L I S
Y S I C A E
T I O I V.
D N A,
ET RATIONE
SLAVIUM PHOTO
RECTA,
J E H O V A
M A C A D E M I A
D I O
S C H A R F I I,
adensis, Facultat.
ijuncti,
& defendendam
F A B R I C I U S
H o l s a t u s.
is a. 7. matutinis.
R G A E,
S T I A N I T H A M,
ogr.
C X X I V.

